

concurr. II Anno regni domini kanuti regis. quinto. predictis presentibus episcopis et confirmantibus Auctore domino nostro iesu christo. qui est benedictus in secula seculorum Amen <sup>1)</sup>).

In sigillo sancti kanuti regis. huic littere appenso in vna parte est ymago regis in solio sedentis. sculpta. Cuius ymaginis superscriptio. hec est Presenti regem. signo cognosce Cnutonem. Ex aduersa parte est ymago quasi ducis vel equitis sculpta. Cuius superscriptio est Hic natum regis magni. sub nomine cernis.

27.

1106.

Canterbury.

Ärke-Bisk. ANSHELMS Bref till Ärke-Bisk. ASCER. i Lund.

K. c. 1556.

ANSELMUS Archiepiscopus Cantuariæ reverendo Laudis <sup>2)</sup> Ecclesiæ Archiepiscopo Atsero salutem & veram amicitiam in Christo. Quod me rogastis de Domino Albrico Cardinali Romanæ Ecclesiæ libenter feci, cum propter honorem Romanæ Ecclesiæ, tum propter amorem vestrum, pro quo libenter facere volo si quid quod placeat sanctitati vestræ intellexero. Gratias agimus Deo, qui in regno Danorum vestram religiosam <sup>3)</sup> ad archiepiscopatum sullimavit. Confidimus enim quia, gratia Dei cooperante, ea quæ corrigenda sunt corrigetis, & quæ ædificanda ædificabitis, & quæ nutrienda nutrietis. Audivimus namque a præfato Cardinali multa bona de vobis. Vnde istam habemus fiduciam, & oramus ut Deus, qui hoc incepit in vobis, ad bonum effectum vestram semper perducatur voluntatem. Rogo sanctitatem vestram quatinus regnum illud vestro sancto studio emundetis ab apostatis, ut nullus alienigena ibi recipiat aliquem ecclesiasticum ordinem: quia illi qui ab Episcopis suis repelluntur, illuc pergunt, & execrabiler <sup>4)</sup> ad diversos ordines sacrantur. Valete, & orate pro me. (Datæ Cantuariæ MCVI <sup>5)</sup>).

28.

1133 d. 7 Jan.

Lund.

Ärke-Bisk. ASCERS Bref rörande de vid invigningen af Krafts-Kyrkan i Lund d. 30 Juni 1123 till samma Kyrka gifna gods, stiftelsen af några prebenden och anslag af gods till Canikebordet.

B. 1: 119.

Consecratio & dotacio ecclesie cripte Item. Fundacio quarundam prebendarum per dominum ascerum archiepiscopum Et donacio quarundam honorum ad mensam communem canonicorum per eundem.

1) Det följande saknas. 2) Lundensis. 3) religiositatem *ann.* K. 525. religiosam prudentiam & prudentem religiositatem, tillägges af andra. G. 5. 4) exitiabiliter. G. 5. 5) Detta sista tillsättes i K. f: 345.

Notum sit omnibus tam futuris quam presentibus. quod ego Ascerus. sancte Lundensis ecclesie archiepiscopus. dedicaui criptam maioris ecclesie in ciuitate Lundensi in honorem sancti johannis baptiste omniumque patriarcharum ac prophetarum christi Anno dominice incarnationis. MCXXIII. iudictione prima. pridie kalend. iulii. Et quas curias. quos mansos. que predia quas denique possessiones eidem ecclesie proprias dederim ad vsus fratrum. omnibus qui aderant in eadem ciuitate notum feci Et vt sciant tam posteri quam presentes. easdem curias & possessiones in huius descriptionis pagina propriis vocabulis notare curauit Curiam wesum habentem II mansos Curiam aby. habentem VI mansos & dimidium. Curiam in hambri. habentem mansum & dimidium Curiam werpingi. habentem mansum & molendinum. Curiam frithuthorpi. habentem mansum integrum. Curiam gythisheog. habentem III:or mansos Et curiam heruistathum in manso fratrum. Item statui prebendam. cui pertinent VII mansi & dimidius In villa raby III mansi & dimidius Eskilstorp. mansus. Isheogi, mansus Item. prebendam constitui. cui pertinent burgaby. III mansi Simbrose. II mansi soluentes quadraginta solidos. III marce de debito ciuitatis & insule. Has omnes terras conquisiui multo labore Quasdam emi satis preciose a cognatis meis vel familiaribus Quasdam comparauit. terris mihi pertinentibus Alias dederunt quidam boni viri pro animabus suis & proximorum suorum. quas tamen iterum integra emptione comparauit a proximis heredibus eorum. Legittimo ergo iure conquisiui eas multorum testimonio Et licet collata essent vel potius mea conquisicione & opera pertinerent ad sedem episcopatus. ego tamen propria auctoritate contuli eas fratrum vsibus jta vt nemo eas fratribus alienare presumat. nisi velit anathemati subiacere. quod proprio labore contraxeram eas. Et alias multo plures quam susceperim. successoribus meis relinquo In nomine igitur iesu christi. auctoritate Dei omnipotentis & beati petri apostolorum principis & nostra. omniumque episcoporum Dacie. interdico & prohibeo. ne aliquis. prenomatas possessiones minuere presumat. aut aliqua occasione. fratribus quibus eas contuli. diripere vel alienare. Quicumque vero siue rex siue episcopus. clericus vel laicus contra hanc nostre confirmacionis paginam agere presumpserit. & prenomatas possessiones inuadere. diripere. vel fratribus alienare temptauerit. secundo. tercio ve commonitus. si non satisfactione congrua emendauerit. ab omnipotente Deo sit anathematizatus Auctoritate omnium sanctorum excommunicatus. omnium clericorum confirmacione maledictus A matris ecclesie gremio segregatus. Ab omni populo confundatur Cum dathan et abiron in inferno. penis eternalibus afficiatur Amen Fiat. fiat. fiat. Amen Omnibus autem eidem loco bona conferentibus sit misericordia & pax & gracia domini nostri iesu christi. nunc et in futuro Amen Acta est hec descriptio anno domini MCXXXIII. iudictione XI. VII idus januarii Consilio et ammonicione domini eskilli eius-

dem ecclesie prepositi Auctore domino nostro iesu christo. Cui est honor et gloria in secula seculorum Amen.

29.

1133 d. 27 Maj.

Rom.

Påfv. INNOCENTIUS II:s, uppå Årke-Bisk. i Hamburg ADALBEROS klagomål öfver Årke-Bisk. i Lund ASCERS och andra Nordiska församlingarnes söndring ifrån Hamburgs stift, gifna utslag och befallning att Danska, Svenska och andra Nordiska Rikens Biskopar skola lyda under Årke-Biskopen i Hamburg.

K. 532.

INNOCENTIUS II <sup>1)</sup> servus servorum Dei venerabili <sup>2)</sup> Adalberoni Hammenburgensi <sup>3)</sup> Archiepiscopo, ejusque successoribus <sup>4)</sup> salutem & Apostolicam benedictionem. Ad hoc in beati Petri Cathedra disponente Deo <sup>5)</sup> constituti esse aspici-mur, quatinus singulis <sup>6)</sup> Ecclesiasticis personis suam conser-vemus justitiam, & qualiter, tam temporaliter, quam spiritualiter earum sta-tus integer perseveret, salubriter providere euremus. Dignum etenim & ra-tionabile est, ut sicut sacro-sancta Dei Ecclesia unitatis ac fidei perpetua mater existit, ita nimirum <sup>7)</sup> privilegia custodiantur illæsa, & nullis molestiis, nullisque oppressionibus pravorum hominum fatigetur. Sæpe utique vene-rabilis frater noster Adalbero Hammenburgensis <sup>8)</sup> Archiepiscopus in præ-sentia prædecessorum nostrorum felicitis memoriæ Calixti & Honorii ac nostra questus est Acerum Lundensem & alios <sup>9)</sup> Daciæ tibi debitam, sicut Metro-politano suo, quemadmodum antiquis privilegiis, Gregorii, Sergii, Leonis, Benedicti, Nicholai, Adriani Romanorum Pontificum continetur, obedientiam derogare. Frequenter autem & a prædictis prædecessoribus nostris Ca-lixto & Honorio, atque a nobis eis mandatum est, ut aut ad tuam & <sup>10)</sup> Hammenburgensis Ecclesiæ redirent obedientiam, aut si quam super hoc si confiderent justitiam <sup>11)</sup> habere, ad Sedem Apostolicam venirent <sup>12)</sup> præpara-ti: ipsi vero Apostolicis contemnentes obedire mandatis, nec venerunt, nec responsales miserunt. Quia igitur lucrum nemo de sua contumacia debet obtinere ex deliberato fratrum nostrorum Episcoporum & Cardinalium con-silio tam Lundensem, quam alios Episcopos Daciæ tibi restituimus. Ad for-mam igitur privilegiorum Gregorii, Sergii, Leonis, Nicolai, Benedicti & Adri-ani, Episcopatus Daciæ, Sueciæ <sup>13)</sup>, Norweigæ <sup>14)</sup>, Farriæ, Gronlandiæ, Hal-singaldiæ <sup>15)</sup>, Islandiæ, Scridivindiæ <sup>16)</sup> & Slavorum, carissimi filii nostri Lotharii Regis precibus inclinati, tibi & per te Hammenburgensi Ecclesiæ,

<sup>1)</sup> II *utelemn. i Cod. dipl.* <sup>2)</sup> fratri. <sup>3)</sup> Hammaburgensi. <sup>4)</sup> Canonice promovendis. <sup>5)</sup> Domi-no <sup>6)</sup> Ecclesiis &. <sup>7)</sup> ejus. <sup>8)</sup> Hammaburgensis. <sup>9)</sup> Episcopos. <sup>10)</sup> Hammaburgensis. <sup>11)</sup> ju-stam rationem. <sup>12)</sup> ostendere parati. <sup>13)</sup> Suediæ *Lindenbr. och Cod. 24.* <sup>14)</sup> Norwegiæ *a. st. och Lunig.* <sup>15)</sup> Halsingalandiæ *a. st.* <sup>16)</sup> Scridiumdiæ.